

recuperata.

Eisdem temporibus cum Waldemarus marchio Brandenburgensis
1319. princeps magnarum divitiarum et potencie sine liberis decessit,
prefatus Lodovicus quamvis per sedem apostolicam ab imperio de-

1324 iun. 24.

positus filium suum primogenitum, Lodovicum nomine, auctoritate
imperiali de dicto principatu Brandenburgensi cum solempnitate
maxima investivit. Tandem etiam dictus Lodovicus imperator ful-

tus nomine prefatum filium suum Lodovicum instituit comitem
nobilis principatus Tyrole. Nam cum filius regis Bohemie, frater
scilicet Caroli imperatoris IV., dictum comitatum per plures annos
tenuisset, accidit quod uxor eiusdem asserens, ipsum esse frigidum

et ad proles generationem invalidum, una cum baronibus et
nobilibus ipsius comitatus secreto conveniens consilio, eundem re-
pudiavit et expulit a comitatu, quam scilicet uxorem superduxit

1342 febr.

prefatus Lodovicus filius Lodovici imperatoris et ex concessione
et auctoritate eiusdem patris sui dictum comitatum Tyrole
in possessionem accepit, ex qua causa inter dictum Lodovicum
imperatorem et Johannem regem Bohemie, patrem comitis expulsi,

postea surrexit guerrarum et inimicie materia multum gravis.

Dictus namque rex Bohemie in vindictam expulsionis filii sui
a dicto comitatu, cui quidem prefatus Lodovicus imperator
in substitutione filii sui ad dictum comitatum assensum

fol. 110.

prestuisse videbatur, postea se constituit ipsius Lodovici impe-
ratoris adversarium et inimicum manifestum. Unde non
diu postea cum manu valida intrans ducatum Bavarie,

28] Infeodatio Lodovici et ante depositionem et ante coronationem imperia-
lem patris facta est.

29] Margaretha.